



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid sit diligere Deum ex toto corde, 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

dum de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute & sine ratione ambulem.

3. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum; non cedens terribus, nec succumbens laboribus. Diligam te Domine fortitudo mea, quia tu es firmamentum meum & refugium meum, liberator meus, Deus meus, adjutor meus; amor æternus, amor supereminens; amor, cuius magnitudinis non est finis; amor, cuius sapientiæ non est numerus; amor, cuius pax exuperat omnem sensum. Diligam te non verbo solum ac lingua, sed opere & veritate. Ut tua gratia in præsentis suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante, perveniam sempiternam, Amen.

CAPUT XII.

Quid sit diligere Deum ex toto corde.

I. **T**Oto corde te diligere (clementissime Domine Iesu Christe) immensitudo amoris est, non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi injuriis; sed integre te sic diligere ex toto corde, ut ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quam ad te; nec delectetur in aliqua re magis, quam in te. Minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Totum namque exigit, qui totum hominem fecisti. Diligi enim debes Domine ex toto corde, ratione & creationis, & recreationis. Quia enim hominem fecisti, debet seipsum
amori

amori tuo: & quia eum redemisti, debet se
amori tuo. Et tanto magis debet se amori
tuo, quam sibi ipsi; quanto tu major es ipso,
pro quo teipsum dedisti.

2. O benignissime Domine Iesu Christe,
amor immense, frange, mollifica cor meum
durissimum: ut si ad alium non valet elevari,
saltem ad purum amorem sensibilem flecta-
tur; scilicet ad benedictam carnem tuam, &
ad illa quæ in carne gessisti, vel iussisti, ut
omnia libenter audiam, studiose legam, fre-
quenter recolam, suaviter mediter, te annun-
tium contempler devote, aut nascentem,
aut lactantem, aut docentem, aut jejunan-
tem, aut prædicantem, aut miracula facien-
tem, aut morientem, aut resurgentem, aut
ascendentem, aut ad iudicium venientem.
Sic animus meus stringatur in amore tuo, ut
carnis devitet vitia, fugiat illecebras, deside-
ria maligna extirpet; & in te assidue recre-
etur, atque tuo dulcissimo amore pascatur.

3. Scio Domine, quod per amorem tuum
vita carnalis excludetur, mundus contemne-
tur, & efficietur ac perficietur vita spiritualis.
Ut ipsa in omnibus quæ oportet sentire, te
sentiat, & vera fide firmetur; puritas conser-
vetur, diabolica circumventio evitetur; augea-
tur exercitium virtutum, & amor tuus mihi
dominetur, nec posthac separetur à me, sed
sic in præsentem me gubernet, conservet, & vi-
vere faciat, ut te adjuvante & donante, amor
in regno tuo sit mihi vita sempiterna, Amen.